

Misc. 6<sup>m</sup>

cat. 1, 63.



1) 1. 6

P

2) 1. 6

P

3) 1. 6

P

4) 1. 6

P

5) 1. 6

P

6) 1. 6

P

7) 1. 6

P

8) 1. 6

P

9) 1. 6

P

10) 1. 6

P

11) 1. 6

P

12) 1. 6

P

13) 1. 6

P

14) 1. 6

P

15) 1. 6

P

16) 1. 6

P

17) 1. 6

P

18) 1. 6

P

19) 1. 6

P

20) 1. 6

P

63.



*[Faint, illegible handwritten text, possibly bleed-through from the reverse side of the page.]*

- 1) A
- 2) 3
- 3) 3
- 4)
- 5)
- 6)
- 7)
- 8)
- 9)
- 10)
- 11)
- 12)
- 13)
- 14)
- 15)
- 16)
- 17)
- 18)



Ad vitam Jesu Christi.

- 1) A. Pfeiffer praes. (resp. M. Bernhards) de Trihaeresio  
Judaeorum, seu Pharis., Sadd. & Ess. Witteb. 1663.
- 2) Jo. Sylvii Egrani Apologia in qua Divam Annam  
neposine Claeophae et Salomae evangelicis  
& prob. testim. refellitur. 1578. cum epistola  
Petri Mosehami
- 3) F. G. Hager de anno nativitatibus Christi. Chemnicii 1743.  
(de anno nativitatibus Christi) Lps. 1774.
- 4)
- 5) F. F. Koeber de ostentis circa nativitatibus Christi. Gerae. 1682.
- 6) P. M. Sagittarius (de Jesu nominis origine et efficacia)  
Altenb. 1676.
- 7) F. F. Koeber de infanticidio Herodis. Gerae. 1683.
- 8) E. F. Wernsdorf de Christo latine loquente. Viseub. 1771.
- 9) Ch. Loeber de nomine salvatoris satis latino. Altenb. 1747.
- 10) F. A. Danz praes. (resp. F. Vetter) Baptismus prosely-  
torum iudaicus. Jenae 1720.
- 11) H. A. Schott de coasiliis quo Jesus miracula edidit. <sup>com. II.</sup>  
Viseb. 1810. <sup>unvollständig.</sup>
- 12) J. Hildebrand praes. (resp. F. Kuderling) de tachygnis  
Christi. Helmest. 1661.
- 13) J. F. Bucher praes. (resp. G. Geysler) de unctione in Betha-  
nia. Viseub. 1720.
- 14) \_\_\_\_\_ (resp. S. D. Hensel) ib. eod. praeparatio ad a-  
gnum paschale et Christi & proditioum iudaee praedictio.
- 15) \_\_\_\_\_ (resp. G. E. Stolte) ib. eod. contactus  
Judae cum hostibus Christi.
- 16) \_\_\_\_\_ (resp. S. J. Herold) ib. eod. synedris quae  
diebus servatoris extiterunt.
- 17) \_\_\_\_\_ (resp. C. G. Lockmann) ib. eod. praedictio  
Christi de discipulorum scandalizatione.
- 18) \_\_\_\_\_ (resp. id.) ib. eod. praecatio Christi in  
horto Gethsemane.

- 19) G. E. Kroschmajer praes. (resp. G. F. Schromm) ex occasione locorum Taciti et Suidae Pontius Pilatus praeses. Wittenb. 1679.
- 20) J. D. Ernesti de Pontii Pilati virtutibus politicis. Alsenb. 1680.
- 21) J. G. Schultze de vera causa quomobrem Christus locus ubi Christus in crucem fuit actus Golgotha fuerit appellatus. Numburgi 1732.
- 22) C. Sagittarius praes. (resp. P. Lange) de lancea qua perforatus latus Iesu Christi. Jenae 1673.
- 23) J. F. Koeber de motu terrae et eclipsi solis circa passionem Christi, nunquid de iis gentiliis scriptoribus innotuerit? Gerae 1683.
- 24) F. S. Freytag de magno Pane mortuo. Numburgi 1725.
- 25) F. de Christi eiusque martyrum veste palmata. Viteb. 1766.
- 27 ~~26~~) A. G. L. Weichert (praes. H. A. Schott) de fide historica narrationis de Christo in coelos sublato huiusque eventus necessitate. Viteb. 1811.
- 28 ~~27~~) J. F. Lange de vestigiis doctrinae de Christo resurrexerit in remotiori a nobis Asia vetustissimis. Halae 1761.
- 29 ~~28~~) J. F. Koeber nunquid Sibyllae tradiderint de Christi resurrectione? Gerae 1680.
- 30 ~~29~~) Ch. F. Quellius de ~~enodiorum~~ Christo a Tiberio decreta. Fridericostadii 1762.
- 31 ~~30~~) Ch. V. Bosius ~~Erpovvriōs~~ Christi in fabulis Apollinis et Minervae frustra quaesitus. Lps. 1741.
- 32 ~~31~~) C. H. Zeibich de Minerva ad Christi imaginem efficta. Vitenb. 1755.
- F 15) G. Aug. Langguth, de Christi eiusque martyrum veste palmata Vitenb. 1766.
- 26) G. Aug. Langguth, mors acerba Iesu in vitam reditu incunda Vitenb. 1766.

33 ~~32~~) F. E. Ch. Heine (praes. F. S. Semler) de Christi ad Abgarum epistola. Halae 1759.

34 ~~33~~) G. W. Wedel de loco Josephi de Christo. Jenae 1707.

35. ~~34~~) Evangelisches Brevier d. i. d. d. Historie von Liden, Hasbus, aufferführung d. Himmelfahrt Jesu Christi, velys Nicodemus, ein Rabbi d. Oberster der Tuden, befruchteter. Auf sein viel pföner Ruck und gelyche Dabey zu finden velys die evangelische richte befruchteter fribes. Gedruckt und verlegt von dem Liebhaber Jesu, Anno 1676. s. 1.

1766.

1766







Da Domine Incrementum  
DISSERTATIO PHILOLOGICA  
DE  
**TRIHÆRESIO**  
JUDÆORUM,  
SEU  
PHARISÆIS, SADDU-  
CÆIS ET ESSÆIS,

Quam  
DEO TRINUNO FORTUNANTE,

In  
Florentissima Electorali ad Albim Universitate,  
PRÆSIDE

*Viro Iuvene Pereximio atq; Clarissimo,*

**M. AUGUSTO PFEIFFERO,**

Lavvenburgo-Saxone,  
*Publico Eruditorum examini*

exponit

**MARTINUS BERNHARDI,**

Gryphisbergâ Pomeranus.

ad diem X X X I. Januar.

Anno Salutis M DC LXIII.

IN

Auditorio minori, horis matutinis.

---

**WITTEBERGÆ**

Prelo. JOHANNIS HAKEN.

VIRIS

*Dignitate Amplissimis, prudentia consultissimis,  
Autoritate Spectatissimis*

**Dn: JOHANNI BEGGERO-**

**VIO Reipub. Gryphenbergensis Camerario  
dignissimo; Dn. Avunculo meo æviter-**  
num colendo:

Nec non

**Dn. MICHAELI HOPPIO,**

**Reip. VVolgastanæ itidem Camerario prudentissi-**  
mo; Confobрино meo exoptatissimo, Musarum  
mearum olim nutritio liberalissimo; omni ho-  
noris ac amoris cultu officiorumq; promptitudine  
ætatem prosequendo.

ut &

**Dn. PAULO Lübbeken/**

**Curatori Pauperum & sanctioris Gryphenbergen-**  
sis ærarij provisorii fidelissimo, Dno. Nutritori  
meo charissimo, perpetimq; venerando.

**Dnn. Mœcenatibus, Evergetis, Parenti, Pro-**  
motoribus meis Optimis Maximis

primulas hæc Academicas strenæ loco  
cum voto devoto

*in*

Studio rum argumentum, grati animi monumen-  
tum, debitæ Observantiæ documentum

*dicatas*

*missas*

*submissas*

esse voluit

**Martinus Bernhardt.**





כג

**D**E Trihæresio Judæorum magna contentio-  
ne decertatum est à *Nicolao Serario*, Jesuita Mogun-  
tino, in *Trihæresio & Minervali*; nec non à viris do-  
ctissimis *Josepho Scaligero*, in *Elencho Trihæresij con-*  
*tra Serarium*; & *Johanne Drusio*, in *Commentario de*  
*tribus Sectis Serarij Trihæresio & Minervali opposito*. Nobis  
impresensiarum nec constitutum est omnia illa accuratius ex-  
cutere de quibus disputarunt: nec etiam presenti titulo secta-  
rum Judaicarum numerum ad ternarium restrictum volumus.  
Nec enim nos latet, quot sint de numero ipsarum sententiæ,  
dum quibusdam duæ, aliis tres, multis quatuor, non paucis plu-  
res, imo etiam ad viginti octo numerantur: vid: *B. Chemnitius*  
*Harm. Evang. p. 126.* *Vener. D. D. Müllerus Judaism. proleg. 8.*  
*p. 64.* *Drusius l. c. l. 1. c. 2.* Satis erit nobis de tribus principali-  
oribus & celebrioribus egisse, cum aliæ ejus temporis sectæ Ju-  
dæorum vel minus celebres vel factiones civiles saltem fue-  
rint, (uti ostendit *P. Cuneus de Rep. Ebr. l. 2. c. 17.*) vel respexe-  
rint tantummodo diversa quædam vitæ instituta, vel ad priores  
referri facile possint. Ut omnia cedant feliciter, faxit DEUS  
Trinunus!

SECTIO PRIMA,  
DE  
PHARISÆIS.

ASSERTIO I.

Pharisæi à פרושי Separati,  
quod se מדרך עולם seu à communi vitæ con-  
suetudine separarent.

§. 1. Unde Pharisæi dicantur, diversæ occurrunt diversorum

A 2

opi.



opiniones. A פָּרִי' quippe s. *divisit*; quam esse D. Hieron. sententiam testatur B. Chemnitius Harm. Evang. l. c. cum nomen per ש scribatur, eos non appellari, cuilibet facillimè appareat.

§.2. Certum פְּרוּשֵׁי dici à radice פָּרַשׁ: quæ vero sit ratio Erymi, dubium adhuc est; cum radix duo possit sustinere significata & exponi *vel per explicavit vel per segregavit*. Non desunt itaque qui *Phariseos* dici quasi פְּרוּשֵׁי *Explanatores Legis Interpretes* existimant, quod non ut Sadducæi τῶ ἐνῶ contenti essent, sed amplecterentur sapientum ἡ σοφιστικῆς & adderent textui propria glossemata. Verum obstat (1) quod Legis interpretes non dicantur פְּרוּשֵׁי, sed מְפָרְשֵׁי (2) quod Pharisei in Scriptis Talmudicis & Rabbinicis non vocentur פְּרוּשֵׁי sed פְּרוּשֵׁי ex forma Paul. vid. hîc Job. Buxtorf. Lex. Talmud. pag. 1851.

§.3. Excipere tamen hoc loco hujus sententiæ patroni possent, formam Paul passivam nonnunquam activam habere significationem. Vid. B. Glassius Phil. sacr. P. 11. p. 412. Quicquid vero fit, & aliàs fieri queat, פָּרוּשׁ vel פְּרוּשׁ pro interprete non sumi certum est. Conf. Jun. & Tremel: not. ad Marc. VII. v. 3.

§.4. Quare nos existimamus פְּרוּשֵׁי, פְּרוּשֵׁי φαρισαῖος denotare homines sese à communi plebe vel vulgo separantes. Ita enim in explicatione hujus vocis Baal Aruch inquit: פְּרוּשֵׁי הוּא שְׂפִירֵשׁ עֲצָמוּ מִכָּל טוֹמְאָה וּמִזֵּמָה מֵאֵל מִמֶּנִּי הוּא שְׂפִירֵשׁ עֲצָמוּ מִכָּל טוֹמְאָה וּמִזֵּמָה מֵאֵל מִמֶּנִּי הוּא שְׂפִירֵשׁ עֲצָמוּ מִכָּל טוֹמְאָה וּמִזֵּמָה מֵאֵל מִמֶּנִּי h. e. *Phariseus est, qui separat seipsum ab omni immunditia & ab omni cibo immundo & à populo terræ (plebejis) qui non habet accuratam rationem ciborum*. Idem affirmat Elias Germanus in Tisbi suo. Habemus præter Judæos ὁμοψύχους Buxtorf. l. c. L'Empereur Not. ad Itin: Benj: p. 147. Füllerum Miscel. l. 2. c. 3. p. 158. Hotting. Thesaur. Phil. l. 1. c. 1. Sect. 5. p. 26. & alios.

§.5. Alias Phariseos etiam חֲכָמִים sapientes,, κατ' ἐξοχήν (Josepho σοφιστῆς) dictos fuisse monstrat Job. Coch, Bremensis Excerpt. Gem: Sanhedr. p. 169.

ASSERTIO II.

Ex Chasidæorum κακοζηλία Phariseorūm esse ortam hæresin Scaligero concedimus.

§.1. Ori-

§. 1. Origo Phariseorum satis obscura est in diversum ab eun-  
tibus authoribus, vid. *Drusus lib. 2. de sectis Jud. cap. 7. seqq.*  
Aliis proles *Naziræorum*, aliis *Chasidæis* successisse dicuntur.  
*Chasidæi* fuerunt dicti, qui post *Maccabæorum* bella rebus  
*Judæorum* in paulò meliorem statum conversis, sibi ipsis præ-  
scripserunt quasdam exactioris disciplinæ regulas, & horum  
simias fuisse *Phariseos*, non absurdè existimat *Scaliger in E-*  
*lench. Tribar. c. 22.*

§. 2. Quo tempore porrò hæc secta cæperit, definire non licet.  
Certum est eam ab excessu *Prophetarum* ortam esse: Nam  
ipsorum tempore sectas fuisse nullas, erudite demonstrat  
*Cunæus de Rep. Ebr. l. 2. c. 17. p. 256.*

§. 3. Quando autem post *Prophetarum* tempora *Pharisei* orti  
fuerint, ut dictum, est μέγα λίσαν ἀίσημα. Placet nihilominus  
adscribere verba *Sebastiani Münsteri*, si cui placeat ipsi suum ad-  
dere calculum *Annot. ad Evang. Matt. c. 3. v. 8. p. m. 139.* Non sa-  
tis constat, inquit, quando & quamdiu ante *Christum* natum exor-  
ta fuerint hæc sectæ, nisi quod apud *Josippum Josephi* abbreviato-  
rem legimus utramq; sectam tempore *Hircani*, & *Alexandri regum*  
*Israel*, h. e. centum ferè annis ante *Christi* incarnationem plurimos  
in suam traxisse opinionem, & qualibet secta contendebat Regem in  
suam inclinare partem, ut tempore *Alexandri* res in cruentum bel-  
lum abierit, favente rege *Sadducæis* contra *Phariseos* qui vulgi fa-  
vorem obtinuerant, & pro sapientibus *Judææ* sese venditabant:  
Sectam autem *Sadducæorum* plusquam *Vatiniano* persequabantur  
odio.

### ASSERTIO III.

Ex *Phariseorum* dogmatibus cum primis  
notari possunt (1) Sub religionis prætextu pro-  
bata ἀσοργία. (2) Piorum μετεμψύχωσις. (3)  
Traditionum adserta authoritas.

§. 1. Quod ad ἀσοργίαν, sciendum *Phariseos* authores homi-  
nibus fuisse, ut res & facultates suas devoverent *Gazophylacio*  
& postea non permisisse, ut aliquis ex opibus suis parenti-  
bus senio confectis ac egentibus subveniret. Hujus ἀσοργίας

A 3

docu-

documenta ex ipsis pandectis Talmudicis produxit *Johan: Coccejus Excerpt. Gem. Sanh. p. 273.* Hinc videre est, quid Salvator noster innuat *Matt. XV. v. 6. 7. Marc. VII. v. 11. 12. 13. Conf. B. Schmidius Not. ad h. l. p. 228. Jun. & Tremel. not. ad h. l. Jos. Scal. Elench. Tribar. c. 9. Job. Drufius l. 2. c. 17 p. 110. Ludovicus de Dieu ad Matt. XV. p. 65. Andr. Masius in Jos. cap. 6. p. 111. Hotting. Thes. phil. l. 1. c. 1. §. 5. p. 31.*

§. 2. Quod ad *μετεμψύχωσις* communis Cabbalistarum opinio est, teste *Manasse ben Israel de Resur: Mort. l. 2. c. 18. p. 214.* animas ex uno corpore in aliud transmigrare. Hinc movet dubium *Manasse: Si una anima ex opinione Cabbalistarum, qua transmigrationem animarum statuunt, informat varia ac diversa corpora omniane corpora sint resurrectura? si non omnia, qua istorum sint resurrectura?* quod solvit deinde ex *Zohar. p. 217.* Hanc *μετεμψύχωσις* s. transanimationem etiam crediderunt Pharisei, in eo tamen discrepabant à Cabbalisticis quod hi etiam impiorum, illi tantum piorum animas transmigrare dicerent. Vid. *Theod. Hakspan. ad lib. Nizzachon. p. m: 152.* Et huc respici, vero non est absimile, *Matt. XIV. v. 2. Cap XVI. v. 14.*

§. 3. Denique Pharisei uti & hodie omnes Judæi distinguebant inter Legem *שבכתב* scriptam & *שבעלפה* Oralem s. Oretenus traditam; priori nomine S. Scripturam, posteriori *סודות* sapientum & glossemata sua designantes. Traditiones illas (quarum quasdam recenset *B. Meisner: Med: Sacr: pag. m. 431.*) pari veneratione cum S. Scriptura recipiendas esse affirmabant. Pertinet huc intolerabilis vox Talmudistarum *Schabbath f. 30: כל דבריהם דברי אלהים חיים וגו'* *Omnia verba illorum (sapientum s. Rabbiorum) sunt ipsissima DEI viventis verba, nullumq; eorum frustra in terram cecidit.* Sic & illa Rabbinica: *בני הזהר בדברי ספרים יותר מדברי תורה* *Mi fili, attende ad verba scribarum magis quam ad verba Legis.* Hinc Pharisei justam incurrebant Salvatoris reprehensionem *Marc. VII. v. 13-*

§. 4. Alia Phariseorum dogmata pernôsse cui volupe fuerit adeat *Josephum de Antiqu: Lib. 17. cap. 3. & lib. 18. c. 2. & de bello Jud. l. 12. c. 2. B. Meisner. in Med. Sacr. p. m. 430. Job. Drufius*

*sum de tribus sectis l. 2. c. 14. & 15. Carol. Sigonium de Rep.  
Ebr. l. 3. c. 11.*

ASSERTIO IV.

Pharisæi pessimi fuerunt hypocritæ.

§. 1. Ὀφθαλμοδυσλεία & ἑθελοθησακεία ipsorum exinde satis  
apparet, quod eleemosynas erogaturi; buccina ante se cani-  
curarent, quo sic populi applausum assequerentur; Sic oraturi  
stabant in compitis & quadriviis platearum, ubi frequens erat  
populi concursus, ut laudarentur à vulgo: jejunantes pullis  
induebantur vestibus [quod Syrus innuit] & nativum faciei  
colorem vitiabant, ut ea appareret macra & pallida: In lotio-  
ne plane erant superstitiosi, eamq; sub religionis specie urge-  
bant: Præ nimia sanctitate cum peccatoribus & comedere &  
conversari detrectabant: dormituri sibi nonnunquam asseres  
vix spithamæ aut palmi latitudinem habentes supponebant,  
quò altius obdormiscentes deciderent & ad cultum divinum  
vigilantes audirent: Sabbati observationem adeo rigidam  
exigebant, ut nullam admitterent exceptionem, quò pro legis  
assertoribus haberentur; in quo similes ipsis sunt hodierni  
Judæi qui eousque progressi, ut magna contentione ab iis di-  
sputatam sit: *An Sabbato liceat mordentem pediculum elidere?*  
(*vid. Buxtorf. Synag. Jud. p. 272.*) Zizit sive quatuor illas lacinias  
vel fimbrias antrorsum & retrorsum dependentes nec non  
*Tephillim* s. lora coriacea precatoria [Græcè φυλακτήρια] ma-  
jora & latiora efficiebant: Decimas ex rebus m. minutissimis  
minthâ, anetho, rutâ, cymino persolvebant gloriam inde apud  
vulgum unice captantes: Sepulchra defunctorum propheta-  
rum magnificè & splendidissime exornabant & similia multa  
faciebant *πρὸς τὸ θεασθῆναι* & inde *πρὸς τοκλισίας* ti-  
tulosq; affectabant. Vid. hic cum primis *D. Wolfg. Frantzius* 4;  
*de interpret. S. Scripturæ Oraculo* 137. p. m. 1302. *B. D. Meisnerus* in  
*Med. sacris* pag. 431. *Joh. Drusius* l. c. l. 2. cap. 15. *Baronius* Tom. 1.  
*Annal.* p. 13. edit: *Antwerp*: Et hinc ipsorum hypocrisim Sacra S.  
N. T. tam multis in locis redarguit, vid. *Matt. VI. vers. 2. 5. 16.*  
*Marc. VII. v. 4.* *Matt. IX. v. 10.* *C. XII. v. 2.* *C. XVII. v. 5. 23.*  
*Luc. VI. v. 7. & c.*

§. 2. EX

§. 2. Ex Phariseis tamen alios aliis nequiores & arrogantiores fuisse haud obscure colligere licet ex eò, quod Talmudistæ distinguunt inter Phariseum verum & simulatum s. hypocritam, cujusmodi erant: שִׁמְרָאִים לֹא כְתוּרֹתָם h. e. quorum externus aspectus non conveniebat cum interna natura. vid. Buxt. Lex. Talm. p. 1853.

ASSERTIO V.

Pharisei primo satis honorati, paulatim ludicris nominibus à populo impetiti sunt.

§. 1. Autoritas ipsorum magna quondam erat, ex simulata nimirum vitæ sanctimonia & hypocrisi, uti ostendit B. Meisn. in *Med. Sacr. pag. 432.* Hinc eis tanta crevit potentia, ut subsidio populi freti sese Regibus aut summo Pontifici attestante *Josepho de Antiqu: Lib. 17. c. 3. & Lib. 13. cap. 3.* opponere eisque contradicere non vererentur. Conf: *Hotting. Thes. phil: p: 27.*

§. 2. Sed ob nimis manifestam hypocrisin temporis progressu septem nacti sunt ludicra nomina, quæ disertis verbis apud Talmudicos libro סוֹטָר fol. 22. 2. leguntur (1) פְּרוֹשׁ שִׁכְמִי *Phariseus Sichemita*, Gersoni *Chrethig.* Vocantur autem ita quod imitarentur *Sichemitas* de quibus (*Gen. 24*) legitur quod circumcisionem admiserint, non in gratiam Dei sed propter Israelitas & lucrandi causa: Sic & hi coloratas suas actiones eò dirigebant, ut iisdem laudem ac favorem plebis sibi lucrarentur. (2) פְּרוֹשׁ נִקְפִי *Phariseus impingens*: dicebantur ita Pharisei quasi reptantes, *Schleicher* s. *Anstößer*/ quod nimis humilitatis specie pedes suos in incessu non elevarent, sed reptantes quasi eosdem facile ad lapides obvios & obstacula alliderent. [3] פְּרוֹשׁ קִיזִי .e. לְבַתְּלִים *venam secans ad parietes*: ejusmodi *Pharisei* cæcutientes *Blindschleicher* oder *Blindreusche* dicti sunt, quia obviam habentes virgines ex inani castitate clausis fermè ac conniventibus oculis incedebant: ac ne obvias mulieres aut virgines aspicerent & impuris afficerentur affectibus occurrabant ad parietes



rietes ac frontem allisam cruentam saepe ac fauciam reddebant.  
 [4] פרוש מרובוא *Instar pistilli depressus.* Hi incurvati  
 Krümlinge nominabantur, quia capite & dorso versus terram  
 inclinato quasi duplicati incedebant. [5] פרוש מה הובתי  
 וְאֶעֱשֶׂה *Quodnam est debitum meum & faciam illud?* Hi  
*Questionista Schuldener* oder *Frager* vocati sunt: Thraonicum  
 verè genus Phariseorum, & operarij superabundantes erant:  
 quia non tantum Legis observantiam exactam & perfectissimam,  
 d. etiam mantissam & opera supererogationis de se jactita-  
 bant. [6] פרוש מאהבה *Phariseus ex amore:* Hi amantes  
*premiij Goldlieb* vocabantur, quia Legem non amore Domini  
 & honore Legis, sed spe præmii Legis divinæ observatoribus  
 promissi observabant. [7] פרוש מיראה *Phariseus ex timo-  
 re:* Hi timentes pœnarum *Strassüchtige* audiebant, quia Le-  
 gem observabant formidine pœnæ, quam Deus Legis neglectori-  
 bus ac transgressoribus minatur ac infligit. De his plura vid.  
 ap. B. Meisnerum *cit. loc. Buxtorf. Lex. Talm. p. 1852. Hotting  
 Thes. phil. Lib. 1. cap. 1. pag. 28. Gersonem Talmud: p. 20. Drus. de  
 sectis Jud. cap. 72. & c.*

## SECTIO SECUNDA, DE SADDUCÆIS.

### ASSERTIO I.

Saducæi ita à primo sectæ authore Zadok  
 appellati fuerunt.

§. 1. Non pauci sunt quibus à צדק justitia, immediatè Sa-  
 ducæi dicti videntur. Ita *Lyranus ad Acta c. 5.* Dicuntur  
 autem Saducæi à Sadoch, quod est justitia in Hebræo, nam Saducæi  
 inter alias Judæos erant in judiciis & punctionibus acerrimi, ut di-  
 citur in scholastica Historia: propterea sibi nomen Justitiæ usurpa-  
 bant. Sic & *Matt. Flacius Illyricus clav. S. Scripturae P. I. pag. 1064.*  
*Saducæos magnificentum hoc sibi nomen à צדק imposuisse affirmat.*

B

ac

ac ideo nomine צדיקים s. iustitiariorum gavisos fuisse, quia  
præ cæteris solam legem Mosaicam quoad literam sive literalem  
sensum sequebantur, & sic nimis severe sibi iustitiam sectari  
videbantur, cum tamen omnium, ut addit, essent scelestissimi:  
Eandem sententiam fovent quidam ex Patribus & Rich: Monta-  
cutius Analect: Exerc. 3. sect: 2.

§. 2. Rectius statuimus eos ab authore sectæ suæ nomen ac-  
cepisse. Nec enim verisimile est eos, qui plebi ob dissolutam  
vitam exosi erant, vulgo צדיקים vel Zaddikæos appellatos  
fuisse. Deinde nobis ad stipulatur veritas historica, cum una-  
nimi consensu authores testentur eos ab Antigoni Sochæi disci-  
pulo Sadoko sectam accepisse, vid. hic B. Chemnitius Harm. Ev-  
ang. pag. 162. Jun: & Tremellius ad Matth. c. XXII. v. 23. Hak-  
spanius l. c. p. 232. Buxtorf. Lex. Talm. 1890. Hotting. Thes: phil.  
p. 35. Menasse ben-Israel. l. 1. p. 42. & alij.

§. 3. Habuerunt autem Sadducæi alia nomina. Cum enim  
relictis traditionibus solam Scripturam acciperent, inde  
קראי Karræi s. Scripturarij dicti fuerunt, vid. Dn. D. Mülleri  
Jud. pag. 68. Buxtorf. Lex. Talm: p. 212. & Hotting: Thes. phil. l.  
c. p. 41. κατ' ἐξοχήν etiam מיני s. heretici & ob negatam re-  
surrectionem & providentiã divinã Epicuræi appellati sunt,  
ceu referunt Buxt: L. T. p. 1199. Fullerus Miscel. l. 2. c. 3. pag. 156.  
Hotting: l. c. p. 37.

#### ASSERTIO II

Sadducæi nec cum Samaritanis, nec cum  
Baithosæis, nec cum posterioribus Karræis te-  
merè confundendi sunt.

§. 1. De Samaritanis fuse egit Hotting: Exerc: Anti Morinia-  
nis. Quod hi cum Sadducæis iidem non fuerint, licet cum il-  
lis à multis confundantur, inde patet, [1] quod Samaritani so-  
lam legem receperunt, Sadducæi totam Scripturam. [2] quod  
Samaritani resurrectionem mortuorum non negarunt, quam  
pernegarunt Saducæi. vid. Hotting. l. c. §. 15.

§. 2. Quod ad Baithosæos sciendum duos fuisse Antigoni  
discipulos, Sadocum & Baithosum, qui sectarij facti fuerunt.

Putant

Putant nonnulli Baithosæos & Sadducæos eandem sectam constituisse, eam autem à solo Zadok appellatam esse, eò quod Baithos spurius esset. [Nullum vero Baithosum fuisse frustra contendit *Füllerus Misc. l. 2. c. 3. p. 156.* contra satis evidentia testimonia; Nec obstat Josephum tres modò enumerare sectas, cum ipsi principes tantummodò recensere animus fuerit] Nos licet Baithosum in plerisq; cum Zadoco convenisse, etiam Saducæos à scriptoribus cum Baithosæis sæpius confundi non diffiteamur, Baithosæos tamen Saducæis in omnibus *ὁμοῦ καὶ ἑτέροις* fuisse non putamus. Vid. *Drusius de 3. Sect. c. 4. Hotting: l. c. p. 37.*

§. 3. *Karrai* ita dicti sunt quasi Scripturistæ. Textuales, Bibli-  
stæ: eò quod soli adhæserint textui, neglectis traditionibus sapientum. Divingui possunt in veteres & recentiores; quod ad illos, promiscuè cum Saducæis confundi non debent, cum credant resurrectionem & præmia post hanc vitam secùs ac fecerunt Sadducæi, vid. hic *Hakspan. 1. c. p. 249. Buxtorf. L. T. R. קרא. Hotting. l. c. p. 41.*

#### ASSERTIO III.

Sadoc ex male intellecto dicto præceptoris  
Antigoni sectam suam inchoavit.

§. 1. Sadoc Antigoni Sochæi discipulus & Baithosi condiscipulus fuit. Vid. *Gerson in Talmud. p. 10. Buxt: L. T. p. 2115. Menasse Ben-Israel de res: mort: p. 42. J. Henricus Hotting: Thes. Phil. Lib. 1. c. 1. p. 75.*

§. 2. Ab Antigono in bono sensu dictum, Sadoc in sequiorem interpretatus est partem, & inde sectæ author fuit. Proverbium autem ab Antigono prolatum citante *Menasse Ben-Israel de resur: mort. p. 41. ex Pirke Avoth* hujusmodi fuit:

אל תהיו כעבדים המשמשין את הרב על מנת לקבל פרם אלא הון כעבדים המשמשין את הרב שלא על מנת לקבל פרם ויהי מורא שמים עליכם i. e.

*Ne estote similes servis, qui serviunt Domino mercedis gratia: Sed illis, qui absq; spe & expectatione mercedis Domini iussa exequuntur & timor Creatoris vestri sit in vobis. Ubi scopus Antigoni fuit,*

ostendere præcepta propter se esse servanda: virtutem sui gratia esse excolendam: Deo ex solo amore esse serviendum sine spe remunerationis temporalis. Hanc sententiam homo ille improbus & rerum novarum cupidus Sadoc in malum detorsit sensum & sic pestiferi Sadducæorum dogmatis antesignanum eum extitisse tum Christianorum tum Judæorum testimonia magno consensu evincunt. Vid. *D. Müllerus Jud: p. 67. Haksban. p. 232. Tremell. ad Matt. XXII. 23. Gerson l.c. Menasse ben-Israel de Res: mort: l. 1. cap. 6. p. 41. Buxt. L. T. p. 303. Hotting. p. 35.*

ASSERTIO IV.

Ex dogmatibus Sadducæorum maxime deest testanda illa, quibus negarunt (1) immortalitatem animæ, resurrectionem mortuorum & vitam æternam. (2) Existentiam Angelorum & (3) providentiam divinam.

§. 1. De dogmatibus Sadducæorum fusius egerunt *Josephus l. 2. de bello Jud. c. 2. & alibi, Scaliger Elench. Tribar: c. 16. Drusius de tribus sect: l. 3. c. 12. Frid: Spanbemijs Dub: Evang: p. 111.* Nos breviter enormiores tres errores exponemus.

§. 2. Immortalitatem animæ, resurrectionem mortuorum & vitam æternam negasse illos ostendunt *Dn. D. Müllerus l. c. p. 68. Haksban. l. c. p. 235. 239. Hottingerus l. c. p. 36.* Non quod lex quoad diserta pacta nil supra hujus vitæ bona promiserit, quæ est opinio *Hug. Grotij de ver. relig. Chr. l. 2.* sed ex malè intellecta mente Præcept. Ex professo autem Sadducæorum rationes aggressi sunt ex Judæis *R. Lipman*, infensissimus Christi oppugnator, in libro *Nizzachon s. Victoria*, quem Judæis extorsum edidit *Cl: Theod. Haksbanus & Menasse ben-Israel, l. 1. de Resur: Mortuorum.* Dogmatis pestilentissimi mentio etiam fit *Matt. XXII. v. 23. Act. XXIII. v. 8.*

§. 3. Quod angelos negarint *Menassi ben-Israel* non placet. Verba ejus *p. 43.* hæc sunt: *De eo, quod dicuntur negasse spiritus, non disputo. Sanè, ut multi putant, sic sequeretur eos negasse legem Mosaicam, quæ variis in locis Angelorum mentionem facit; præterea certum est eos non negasse librorum prophetorum autoritatem,*

ut ex Talmude liquet. Sed multa videmus negari, quæ ex S. Scriptura satis dilucide probari possunt. Quasi non etiam Sadducæi resurrectionem negarint, & testimonia Scripturæ evidentissima glossematis suis interpolare attentârint fatente & recensente ipso *Menasse* l. c. p. 37. Hæc reponimus ad rationem *Menassis*. Certe etiam *Jos. Scaliger* cum in *Elencho Tribaresij* quæsiuisset, qua fronte Sadducæi potuerint angelos negare, quorum tamen diserte meminit S. Scriptura? respondet sibi: *Hoc fa-  
teor me ignorare*. Est ea indoles plerorumq; ut semel arrepta mordicus teneant, licet vel infera superis sint miscenda, quod suo exemplo *Photiniani* comprobant: & hinc adeo non mirandum est Sadducæos ex male intellecta mente præceptoris arreptam falsam sententiam deinde contra evidentia testimonia effronti audacia defendisse.

§. 4. Deniq; Sadducæi providentiam divinam negarunt, hinc etiam Muhammedanis exosi: in jure enim ipsorum hic extat Canon: ויתקלאלו זנדיק ולא תקבל תובתה  
*Occidatur Sadducæus & non accipiatur pro eo pœnitentia. Vid: hic* *Fl. Josephus de bello Jud: l. 2. c. 2. Antonius Giggæus in Thes: Arab. r. זנדיק. Hotting: Hist: Orient. l. 1. c. 8. p. 169. De aliis alij egerunt.*

#### ASSERTIO V.

Sadducæi non solam legem, sed etiam Prophetas atq; Hagiographa receperunt.

§. 1. Quod asserunt quidam Saducæos solam Legem pro authentica habuisse, inde est, quod cum Samaritanis vulgo confunduntur. Uti constat ex Pandectis Talmudicis, tantum abest ut rejecerint Hagiographorum & prophetarum auctoritatem, ut potius in depromptis inde testimoniis salvandis mirum in modum sese torserint. Vid: hic ex *Sanbedrin* cap. קלח à *Gerfone* Germanicè versum. *Conf: Hakspan: l. c. p. 229. Frid. Spanbe-  
m: us Dub: E sang: p. 111.*

§. 2. Pharisæorum tamen glossemata & *תוספות* solo *תורה* & *תנאים* sensu scripturæ literalis contenti rejiciebant atq; hinc à Kabbanistis passim exagitabantur. Vid. *Coccejus Excerpt: Gem. Sanbedrin. pag. 58. Schickard: זנה pag. 143.*

B 3

SECTIO

SECTIO III.  
DE ESSÆIS.

ASSERTIO I.

Essæorum certum Etymon dari nequit.

§. 1. Cum Essæorum Historia Evangelica non faciat mentionem, breviores hic ducemus lineas. De Etymo tot sunt sententiarum, quod capita. *Nicolaus Serarius* in *Tribaresio* duodecim recenset opiniones. Verum cum orthographiam hujus vocis in lingua originali ignoremus (non dissimulantibus id Rabbis) in nulla simpliciter acquiescere possumus. Breviter tamen varias authorum adscribemus sententias, ut benevolo lectori integrum sit eligere maxime probabilem.

§. 2. *Chrysostronus & Philo* (testante Fullero) Essæos de ducunt à voce Græca ἑσῆ. *Epiphano* derivantur vel à *Jesse* patre Davidis quasi ἑσῆ αἰοῖ vel à nomine *Jesu*. *Nicolaus Fullerus* circa Essæorum Etymologiam cum primis curiosus sibi ipsi non satis constat. Jam ipsi placet deducere vocem ab **NON** sanando, cum à *Philone* ἑσῆ πῆτα dicantur, l. 1. c. 3. p. 30. mox arridet originatio ex **ΝΙΣΗ** vel **ΝΙΣΗ** *Sanctus* nomine ex **ΝΙΣΗ** decurtato p. 35. mox à **ΝΙΣΗ** *recepit se ad latibula* l. 4 c. 3. *Josephus Scaliger* Essæos dictos existimat vel ab authore sectæ, vel à **ΝΙΣΗ** siluit quasi **ΝΙΣΗ** quod seorsim à strepitu remoti vixerint; vel à **ΝΙΣΗ**, quod *stoream* notat, quasi *χαμαίευνες* in *Tribaresio*, c. 16. Sed cum ignota sit Orthographia, uti dictum, difficile est judicare de Etymologia.

ASSERTIO II.

Essæi nec cum Naziræis, nec cum Pharisæis, nec cum Karræis, nec cum Baithosæis iidem fuerunt.

§. 1. *Naziræi* cultus divini ergò certo sese quondam obstrinxerunt voto; hinc, cum iidem certam sibi vivendi rationem præscriberent, cum illis in libro *Juchasin* confunduntur Essæi; sed malè, ut ostendit *Joh. Drusius de tribus sect.* l. 4. c. 14.

§. 2. Cum *Pharisæis* Essæos confundit *Fullerus* l. 2. c. 3. eos etiam *Pharisæis* ipsis *φαισαϊσῆς* fuisse asserens. Et cum quærivisset, qui fiat, quod in Historia Evangelica Essæorum nulla injiciatur mentio, subdit: *At, si quis eos ibi contenderit Phariseorum nomine com-*

ne comprehensos, non magnopere pugnabo. Etenim quamvis non dicerentur Pharisei, re tamen ipsa certe Pharisei erant. Sed cum Fl. Josephus diserte Phariseos ab Essæis distinguat [qui tamen profiteretur se magno studio in sectas Judæorum inquisivisse] & Fullerus sententiæ suæ rationes prægnantes non addat, ipsi ad stipulari non possumus.

§. 3. Idem Fullerus Essæos cum *Baithoseis* eisdem planè esse affirmat. In hanc enim sententiam ita scribit l. 2. c. 3. *Neg, aliq sunt בית נוסאים (si propius inspicimus) quam בית נוסאים deinde frequenti usu duabus vocibus in unam coalescentibus בית נוסאים i. e. Familia Essæorum vel Sanatorum.* Nos non negamus quidem nomine בית sectam nonnunquam indicari posse, [nam בית הלל *Hilleliani* & בית שמאי *Schammaitæ* dicti fuerunt] an vero hic loci id fiat, disquirimus. Certè cum luculentissima exstent Ebræorum testimonia *Baithoseos* dictos esse à *Baithoso* Antigoni Sochæi discipulo, Fullerii crisis locum habere nequit. Quod vero ad Menasse ben Israel, manifestam hic commisit ἀτιλογία. Nam alibi *Baithosum* à præceptore descivisse asserit, at l. 1. de resurrectione Mort. c. 6. *Baithoseos* quasi בית נוסאי dictos affirmat. Vid. hic cum primis *Centur. Miscell. Theolog. D. Waltheri* τὰ μακροεπίτῃ pag. 479.

§. 4. Similiter Fullerus cum *Karræis* confundit Essæos, sed iterum perperam. Nam *Karræi* veteres iidem erant cum Sadducæis (adhibita cautione quam habet *Hotting: Thes: phil: p. 41.*) jam verò non potest dici Essæos cum Sadducæis eisdem fuisse (1) cum Sadducæis contra distinguantur à Josepho. (2) Cum non possit probari eos resurrectionem mortuorum negasse (3) cum Angelos dari crediderint, quorū & nomina observabant probante *Seldeno de DIS Syris p. 109.*

#### ASSERTIO III.

#### Essæi non fuerunt Christiani.

§. 1. *Epiphan. adv. Her: l. 1. bar: 29. & Eusebius l. 2. Hist: Eccl: c. 17.* Essæos ex Judæis faciunt Christianos & ἰεραπειρίαν exponunt de corporalium morborum sanatione instituta in nomine Jesu Christi Nazareni. Verum reclamatur historia. Vid. *D. Walth. l. c.*

§. 2. Plura de Essæis cognoscere qui velit, *Jos: Scaligerum, Job: Drus:* nec non *Serarium* consulere poterit. Nos pro hisce decernimus.

Gloriam Soli DEO.

**I**N varias partes, in dogmata multa tribules  
Vertigo rapuit, perfide verpa, tuos.  
Hic Phariseus erat: placita ille nefanda Sadoci  
Tradit; in occulto tertius ordo latet.  
Hoc dum demonstras, BERNHARDI docte, sequentur  
Olim pro meritis præmia mille tuis.

*Præximo atq; Literatissimo Dno. Bernhardsi de præcipuis  
Judaorum sectis eruditè disputanti ὁλοκαρδίως  
gratulatur PRÆSES.*

**N**on cantas reboantis arma belli;  
Nec Carthaginei annulos triumphi.  
Sed nec martia Scipionis arma,  
Quæ Carthaginis abstulere fastum,  
Dum Carthaginis eruere fossas.  
Cor tuum melior perurit æstus  
Dum te Palladis instruunt favores  
Quæi partus cerebri decentiores  
Possis edere Scribtor eruditus.  
Pares pergito parturire partus!  
Fovet gloria certa pusiones.

*Amico Dn. Resp. ab affectu & patria conjunctissimo app.  
Christianus Gerichius, SS. Theol. & Phil. Stud.*


**Q**uis non egregios hos laudibus efferat ausus,  
Atq; istos meritò, dulcis amice, probet?  
Dum recutitorum diversas ordine sectas  
Exponis nobis. Maecte tuere theses!  
Gratulor his studiis, ita si perrexeris, olim,  
Spondeo, quod laribus gaudia plura feres.

*Tumultuariâ venâ, prolixiori interim affectu adjiciebam  
Bartholomæus Schütze/Gryph. Pom. SS. Th. & Ph. St.*

**D**um Tua perstringit, BERNHARDI, industria sectas  
Famosas, ritus exprimit atq; genus;  
Accumulas laudum pelagus, sic itur ad astra,  
Sic volitare potes clara per ora virum.  
Johannes Theslin. SS. Theol. & Phil. Stud.







Misc. 672



cat. 1, 63.

